



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Præfatio Ad Lectorem Benevolum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

(O)

# PRÆFATIO

AD

*Lectorem Benevolum.*

**A**nni sunt complures, amice Lector, quando jussus fui Coloniae, eam scientiam in compendium redactam tradere, quæ novis Sacerdotibus, in tanto munere dignius exequendo ( præsertim quoties in conscientiae tribunali Judices sederent) præsidio foret. Duo hic facillè videbam maximè à me postulari, ut & optima quæque seligerem, & in ordinem, usui cujusque aptissimum, dispertirer, itaque apiculas imitarer, quæ ex optimis floribus utilissima colligunt, & in alveari disponunt in ordinem. Inde effecta est hæc *Medulla Casuum Conscientia*, ( ut ajunt ) seu *Theologia moralis summa*, Enchiridio huic inclusa. Quæ cum in manus, & oculos plurium pervenisset, visa est non improbari, iis præsertim, qui privato calamo eandem, non sine labore, molestiâ, & temporis jacturâ descripserunt. Hinc evenit (cujus aliàs consilii ne cogitatio quidem unquam inciderat) ut plurium me preces identidem urgerent, & viri maximi auctoritas dignitasque impelleret, ac denique etiam superiorum juberet voluntas, ut publici juris facerem. Limâ hic aliquâ opus fuit, à qua perfectior prodiret in lucem, quæque Authorum nomina, ante desiderata, quotquot in præceptu essent adjungeret, (adjuncta sunt autè hac altera editione quamplurima.) Nunc consilium tu meum; & ordinem acci-

pc.

*Pref. Ad Lectorem.*

pe. Noto nomine, Casus Conscientiæ appello, varias species factorum, de quibus in foro conscientiæ, Judex Sacerdos sententiam edicat oportet, atque velut honesta approbet, vel ut turpia condemnet Medio tutissimus iturus, extrema plus æquo, vel laxa, vel angusta declinare sum conatus Quod si quando declarem, ubi Doctores nonnulli benignius senserint, non idèd probo, vel suadeo; sed illud adfero, unde nonnunquam prudente judicio, conscientiæ Rector, vel Consultor dispiciat, an esse usui possit. In sexto quidem præcepto, (uti & matrimonii Sacramento) animus fuerat, per viam ad dèd lutulentam celerius incedere, sed tamen plurimum judicio, & hîc immorandum nonnihil fuit, ne quid praxis requireret.

Pauculos porrò errores, qui in editione prima irreperant, licèt hac secunda speremus emendatos; si quos tamen, amice Lector, præterea lectione accuratiori deprehenderis, eosdem Mihi, aut Typographo liberrimè indicare dignaberis, hic enim commedis tuis omninò servire studens, tertiam etiam minori typo, & formâ editionem, brevè ex officina eadem subsequituram promittit Cæterum nihil asserui, nisi vel ex communi Doctorum sententia deductum, vel desumptum ex probatissimorum Authorum libris, scriptisve, eorum inprimis, qui hic eximia cum laude versati sunt. Inter quos principes extitere, laudatissimi hujus scientiæ Magistri, P. *Hermannus Nunning*, & P. *Fridericus Spe*, uterque è Societate nostra Sacerdos, & in diversis Academiis Theologiæ Moralis Professor, quibus me debere plurimum libens profiteor: uterque e-

*Prefatio*

nim casuum summam confecit, & mirificè passim probatam, & publica luce dignam, quibus proinde liberaliter sum usus, ut & ipsi similiter antè fecerant: prior enim ex P. *Maximiliani Bucher*; alter ex utriusq; viridario, manu solerti flores quamplurimos decerpserant. Unde hos omnes æquissimo animo & jure, in fructus & laudis, quæcunq; est, societatem admitto: ita quidem, ut minimam ejus partem mihi vindicem. Quinam omnium fontes præcipui extiterint, authores identidem allati indicabunt.

Methodus illa & optima visa fuit, & facillima, ut in quavis materia, seu dubio in primis ex communi Doctorum sententia respondeatur; quæ responsio ceu regula quæpiam sit, ex qua deinde (quoties id fieri potest) aut certè circa eam, casus aliquot particulares resolvantur, ut secundum illos, & responsionem dictam alii similes, cum inciderint, resolvi possunt.

Quia verò doctrina hæc ferè omnis versatur in cognoscenda bonitate, vel malitia actuum humanorum sive moralium, (unde & *moralis Theologia* dicitur) illa verò cognosci non potest sine regula, ad quam vel actus isti rectè accedant, vel à qua pravè recedant, agitur.

*Lib. I.* De actuum moralium regula, tum interna, hoc est, conscientia, tum externa, hoc est, præceptis in genere.

*Lib. II.* De Præceptis Fidei, Spei, Charitatis: quæ sunt quasi præambula Decalogi.

*Lib. III.* De Præceptis Decalogi, & Ecclesiæ.

*Lib. IV.* De Præceptis certorum hominum statui propriis.

*Lib. V.*

*Prefatio.*

*Lib. V. De modo discernendi naturam, & gravitatem peccatorum, quæ contra dicta præcepta committuntur.*

*Lib. VI. De Sacramentis novæ legis.*

*Lib. VII. De Censuris Ecclesiasticis, & Irregularitatibus.*

**INDEX CAPITUM  
ET DUBIORUM.**

**LIBER I.**

*De Regula actuum humanorum.*

*Tractatus Primus,*

*De Regula interna, sive Conscientia.*

**C**ap. I. *Quid conscientia, & an sequenda sit?* p. 1.

Cap. II. *De conscientia dubia.* 4

Dub. I. *Quid sit conscientia practicè dubia, & quid in ea agendum?* ibid.

Dub. II. *Quid agendum cum conscientia speculativè dubia?* 7

Dub. III. *An in dubio tutior pars eligenda?* 11

Cap. III. *Quid conscientia scrupulosa, & quid in ea agendum?* 14

*Tractatus Secundus.*

*De regula externa actuum humanorum, scilicet à Lege.*

Cap. I. *De natura & obligatione Legis in genere.* 17

Dub. I. *Quid sit Lex sive præceptum?* ibid.

Dub.